

eodem ergo vento contrarij motus efficiuntur ex velorum diuersitate, etenim per ventum d feretur ad meridiem nauis, & per velum f ad Septentrionem etiam diducto auxilio e l a vi, quanto magis cum illo: & si ventus excipiat in f velo, non iuuabit clauus, & si in d dirigetur, & temperabitur motus, & si in e medio modo. Ergo si ventus feratur rectè iuuabit, vt dici solet omnibus, & plenis velis excipere, si ex obliquo demittere antennam puppis, sin autem valde obliquus sit, solo proræ velo vtemur. Si validior quàm oportet humilior. Atque hæc postmodum sunt diligenter numeranda, ac metienda: nunc sufficiat causam reddidisse, & admonuisse diuersitatis motuum, quæ ex velis contingit: nam eo fertur nauis, quo prora dirigitur. Ergo cum puppis tanto feratur versus meridiem a b, quanto prora versus meridiem a d, & quâto puppis fertur versus meridiem, tanto prora fertur versus boream, igitur quâto prora fertur versus meridiem a d, tanto versus boream a b f, sed situs clauis potest multo plus in comparatione veli d, quam f scilicet, quia distantia a b a est o a, & distantia e c est o e, tanto plus ergo potest clauis situs in cõparatione ad velum d, quam f, quanta est proportio o a, ad o e, igitur clauus est longè potentior in comparatione veli d, quam f, ergo velum d minus agit nauim, quam f. Sed vt extrema se habent, ita medium eorum comparatione, igitur malus b e validior est, multo d a, & infirmior c f. Verùm, vt dixi, ob situm simpliciter validius est, velum e quam f, & etiam quia, vt dixi, altior & crassior solet esse, ideo multo validior tribus his causis, quàm e f: adde quartam quòd velum habet maius, antiquo tempore vocatum acatius. At vt etiam docui e b non est in medio, nec æquidistat ab a d & c f, sed inclinatur ad proram ideoque imbecillior: cum ergo sit æqualium, & paulo maiorum virium, quàm c f, & tutior, & melius agatur per clauum quàm c f, & sit a d nimis iusto imbecillis, propterea b e mali & veli maximus est vsus: adeò mali nomen per antonomasiam de ipso simpliciter intelligatur.

*Propositio centesima vigesima prima.*

Flabelli vires, atque naturam declarare.

Com.


Sit flabellum a b c appensum, vt solet, in a, & moueatur motu quasi circa axem p a q in parte inferiore, & aër comprehensus sub b h k, & spatium sit l m figuræ nauicularis, quæ constat esse partem cylindri inanis ex formatione ab Euclide scripta: nam si proponeretur p a q ad perpendicularum superstantis plano, fieret circumducta a b c superficie, quæ esset lata superius, sicut etiam inferius cylindrus: at superius a b tenuis est, & angusta, ergo fiet pars cylindri inanis: quia non circumuoluitur, donec redeat. Ergo per dicta superius sectio illius p r q s per axem est pars cuiusdam ellypsis. Et sectio quæuis planæ superficie æquidistans a b c

Lib. 11. diff. 21.

Propos. 69.

velut tu, itemque æquidistans axi p a q est superficies rectangula, quarum vna est similis, & æqualis b h k, est in vna superficie cum axe p a q aliavero est æquidistans eidem axi maior aut minor æquidistantium & ipsa laterum, atque rectangula ac si cylindrus stans axi plano æquidistanti secaretur iuxta lōgitudinem seu altitudinem suam: & manifestum est quod ista duo plana, & eorum superficies secant se mutuo ad rectos angulos.

Quibus constitutis, qui stabunt iuxta l, & m longitudines aëris moti, & loci, per quem transit flabellum, sentient magnum ventum; quoniam cum corpus m x l ab extremis partibus sit elatius a b ex tremis, stantes, & alti tangentur à vento agitato. Si vero sedeant aer, primum non attinget illos, vt etiam quia sursum pellitur non perueniet ad illos, imò diffugiet, ergo non refrigerabuntur. Qui vero à lateribus l x m stabunt hincinde, velut in f g, si steterint, non refrigerabuntur, quia quando flabellum erit in l, vel m aer descendet, ergo fugiet ab illis, cum autem fuerit in x, erit in loco humiliori, & mouebitur diuersa ratione, quippe ab f in h, & non ad latera, ergo neque contactu, neque motu, qui fiet per æquidistantem f, & g non poterunt refrigerari. Sed si humili loco sedeant, quoniam aër descendit, ex l & m versus x, & etiam, quia erunt proximi h k, quando fuerit in x, refrigerabuntur valde. Qui autem erunt iuxta



h & x minus refrigerabuntur, vtrisque sed paululum in redditibus propinquis, & neque stantes, neque sedentes, sed si altius attollatus